De bubone venereo dissertatio chirurgica practica

Quamvis vita hominis, naturâ suâ debilis, ac caduca, inter varios terrenæ palestræ cursus, innumeris infirmitatibus torqueatur; attamen eandem, non credo, vehementius, aut crudelius vexari posse, quàm cùm lue venereâ corrumpitur. Dirissimus iste morbus, veluti multiceps hydra, terribilis adeo est, et monstro similis, ut in diversas formas ferè semper converti videatur, et ad humani corporis corruptionem, atque ruinam mirâ atrocitate conspirare. Inter præcipuos effectus, qui ab ea peste oriri solent, jure meritoque recensetur bubo, qui à lue illâ venereus appellatur. Et reverà vel virulentia illa, quæ morbum procreat, in partibus solumodo sistat, generationi inservientibus, vel in fluidis totius corporis omni ex parte misceatur: experientiâ compertum est, eam non rarò tangere inguinum glandulas, ibique lymphas spissiores reddere, ideoque tumores illos efformare, qui satis apto vocabulo bubones venerei vocantur. Ubi verò ejusmodi tumor diris symptomatibus è corpore emergit humano, aliâ non potest ratione curari, quàm per

reso

resolutionem, ut ajunt, vel per suppurationem. Quænam ex duplici allata methodo utilior futura sit, et magis congrua operæ pretium existimo, in præsenti disserere. Et cum mihi videatur, venerei tumoris resolutio (dummodò is recens sit, et à suo principio non admodum distet) magis esse rationi consentanea, quàm suppuratio, non abs re erit, aliqua præfari de detrimentis illis, et quidem maximi ponderis, quibus dubio procul obnoxia est suppuratio, ut indè clarius elucescat, quantum præstet ægro, ut tumor ille citò dissolvatur, potiusquam in ægroto jam corpore longius adolescat. Quamvis ego probè sciam, quantum longè distat opinio mea à communi praxi multorum, nihilominus cum semper existimarim, veritatem, atq. rationem esse præferendam usui, licèt recepto, atq. vulgari opinioni, maximè si publica indè oriatur utilitas; hinc æqui bonique consulaner, me in argumento consistere proposito, atque de eodem, tamquam fine, et objecto sermonis mei, qualiacumq. ea sint, verba facere.

Si praxis illa, qua corporis humani solida rumpuntur ac dividuntur, insana alicui videri possit, ac crudelis, adhibenda non est, nisi in illis tantumodo casibus, in quibus corrupta, ac hostilis materies aliâ viâ extrahi nequeat,

quam

quàm illa breviori, quę ab arte, ac sępius à necessitate suadetur.
hinc si scalpello, igni, aut emplastro escharotico, alijsque hujuscemodi utendum, ut ęgrę partes aperiantur, ac in sinu, ut ità dicam, dilacerentur; ijs quoque indigemus, existimo, ad occultum virus reserandum in illis etiam partibus, quę sensu magis prędite sunt, etsi in his summâ opus est arte. Sed hic justus exurgit timor; nam cum non possit tumor aliquis aperiri, nisi ad penè perfectam non pervenerit maturitatem, quod fieri non potest, nisi longo temporis tractu, metuendum nobis est, ne diù expectata maturitas damnum inferat majus eo, quod avertere conamur; tum maximè si loquamur de bubonibus venereis, quibus absconditum virus, majori quâ fieri potest, celeritate, expellamus, oportet. Cum enim ista lues contagionis, ac veneni naturam pręferat, adeo ut solo tactu inficiat, atque corrumpat, palam fit, nullum majus humano corpori detrimentum impendere posse, quàm si pestis illa diù eidem adhęserit, quod absque dubio fieret, si exoptatam venerei bubonis suppurationem diutinâ patientiâ pręstolemur. Cum enim corporis humani fluida totum corpus perpetuò circumfluant, cumque ejus partes communi veluti nexu, atque unanimi, ut ità loquar, harmonia sint colligatę, quis non videat, pravum humorem necessariè

debere

debere vi circulationis illicò ex genitalibus ad cor transferri, statimque ex corde ad totum corpus diffundi? Quod si verum sit, sanguinem cursum suum ità citò perficere, ut unius horæ spatio corpus humanum saltem trigesies percurrat, uti Lowero, et Boerhaawio videbatur, nonne timendum est, ne sanguis virulenta loca pertransiens ità inficiatur, ut vel sanas partes ipsas corrumpat? Quo magis id verum est, eo majorem nobis timorem incutiat; corruptioni enim, illa methodo utentes, subjiciunt, quæ incorrupta, atque vitæ necessaria sunt. Hic tamen animadvertendum est, me tantum abesse, ut cogitem, istiusmodi venenum particulis constare activis, volatilibus, et ad motum quamaximè propensis, perindè ac viperæ venenum, aut quid pejus; quin potiùs in eà sum constanti opinione, illud esse adeò tardæ, ac quodammodo frigidæ naturæ, ut torpore quodam in humano corpore diù latere possit: quod si ità se res habeat, nonne diutina mora propter hanc ipsam præternaturalem pigritiam magis suspecta esse debet, ac majorem nobis indere curam, ut illud confestim expellamus? Sed sit etiam lues illa venenum, quod volatile, et mobile appellari solet, quodque brevi temporis tractu per totum corpus diffunditur, nec ulla ejus parte sive solida, sive liqui-

da

da cohiberi solet, nonne certum quoque est, quod ubi pars aliqua veneno etiam talis naturę victa, atque, ut ità dicam, debellata sit, semper deindè victam, atque profligatam manere, ut ex veneno viperę pręcipuè, ac scorpionum, aliorumque, apertissimè constat.

Non hujus tamen generis est hoc, de quo verbum facio: istud quò pigrius, eò ferocius; idcircò si inopportunè curatio differatur, illud interius cum liquidis semiscet, cum pigrioribus pręsertim, et ista alterat, ac in suam pravam naturam commutat, atque convertit; ità ut dein mirum non sit, si videatur, paululum hujuscemodi materię in corpore insitę, tractu temporis non solum omnia corporis liquida alterare, et mutare, vel propter incuriam, vel propter malam curationem, verùm etiam solidas partes contaminare, atque corrumpere. Itaq: si experientià constat, virus illud, quod ex canibus, aut alijs rabidis animalibus transit in corpus cujusdam infelicis, posse per plures menses, et annos esse absconditum; eàdem quoque patet, ejus vim morâ potiùs acui, ac roborari, quàm amitti. Idem quoque fieri in alijs venenis sępè videmus, sicut in illo tarantulę, variolarum, et in pluribus alijs, quę diù cum nostro sanguine morantur absque ulla noxa, quam, ubi erumpit, necessariò infert: ad hęc scribit Prevotius de medicina pauperum capite secundo = Possunt enim venena diù latere in nobis, et longo temporis

poris tractu corrumpere; imò quod incredibilius videri possit, diù aliquando detinenda venena, vel assumpta, vel in corpore procreata, priusquam in loco affecto notabile aliquod symptoma pariant, quæ tandem post quatuor, aut sex menses, vel longioris temporis decursum hominem perimunt. Et tamen sanior nos docat ratio, nullam adhibendam esse fidem illi hosti, qui frigidus aliquando videtur, et languidus; imò si certè sciamus, aliquid veneni in humano corpore imprimi, illicò scalpello, aut igni manus admovendæ, ut ab sua origine averruncatur; quod si res ità se habeat, cur eâdē de causâ fieri non debeat, ut venereus morbus statìm à proprijs, et efficacibus remedijs profligetur, à quibus nullas sperare possit inducias? Sed hactenus dicta non benè conveniunt ijs, qui in isto tumore solent suppuratione uti, ijsque, qui temporis longitudine, ac tædio non deterrentur. Quam ob rem hanc suppurationem obitèr disquirere, operæ prætium erit. Cum igitur varijs auxilijs, et diversimodè tumoris suppurationem experitur, hic ità tempore adolescat, opus est, ut suo circuitu contineri non valeat. Sed hic animadvertendum non abs re erit, quantum detrimenti undique afferat methodus ista; quoniam aut tumor tempore, quo maturus est, aperiri debeat, ut in alijs tumoribus sæpissimè contigit; aut cum adhuc imaturus est. Neminem esse existimo,

stimo, qui insanè credat, illum aperiendum esse, priusquam ad perfectam perductus non sit maturitatem; tunc enim illud sisteret virus, quod exire deberet; cui addi potest, quod scitè adnotavit Hildanus, dolores acerbissimos, inflammationes admodum graves, aliaque mala, post hujuscemodi incisionem orta esse. Expedit igitur, ut virus hac in parte tandiù clausum sit, quandiù necessè est, ut perfectè bubo maturescat. At quis non videt, aliquam dicti veneni partem, cum istud longo temporis spatio in affecto loco tectum, atque obvolutum detineatur, vitali motu adeò subtiliorem fieri, ut absorbeatur à vasis, et cum sanguine misceatur, atque confundatur? Quam preterit, aut quis inficiari audet, venenum, cum ei intus saniora liquida percurrere permissum sit, febres, dolores arthriticos, rheumaticos, aliosque hujus generis produxisse? Id nobis experientiâ satis liquet; propterea si à sorte aliquando edocti simus, aut si experimenta, et observationes lumen nobis preferre debeant, nonne absurdum videtur, in contraria currere? Hæc et alia, quæ his addi possent, si considerarent homines, ut jurè, meritoque deberent, certè quidem non tam longè à veritate, et à sibimet ipsis aberrarent, quantum illi, qui ea rectè inspicient, aberrare videntur. Quidam namque existimarunt, buboni, antequam maturus esset, incisionem fieri debere, uti inter alios opinatus est Schellammerus; quidam econtra duxerunt

manus

manus illi inferendas non esse, nisi prius perfecté maturus esset; quam opinionem sequutus quoq. est Oribasius, et Paulus; at hi genus bubonum venereorum, de quibus nunc disseritur, ignorarunt, ideoque horum sententia hic nullius est momenti. Ex hactenus dictis luculentissimè patet, satius esse bubonem ab initio resolvere, quam suppurationi subjicere; hæc namque semper infesta, sive tumor ad maturitatem perducatur, sive non.

Quò tamen veritas clarius elucescat, expediens esse arbitror, illorum opiniones perpendere, qui supradictis refragantur. Inter tot, tantasque sententias, quæ quamdam veritatis imaginem præferre videntur, certum paulisper statuatur tempus, in quo bubo, sive maturus, sive immaturus, apposité, et sine ullo detrimento incidatur. Hujus incisionem duplici modo fieri, nemo ignorat, igni nempè, et scalpello. At quæ nunc animum subeunt difficultates? I. Si enim tumor igni aperiatur; quamvis nulli dubium sit, quin ignis non levem habeat vim infecta commutandi (ideòque à quamplurimis adhibetur), quis tamen nescit, illam escharam, quæ ab eo producitur, impedimento esse, ut pravi humores ex infectis locis exeant, atq. diffluant? Quod hæc ità sint, experimento patet, veneni rabidi animalis, quo corpus humanum imbutum fuit, in cujus læsa parte, quamplurimi ignito ferro usi sunt, et ad eam urendam, ac venenum omni ex parte extirpandum; verumtamen id incassum moliti sunt, ut testatur Hildanus, qui pluribus exemplis edoctus admonet, ab exusta

parte

parte escharam illam, statim ac exorta est, illicò evellendam ulcerisque cicatricem alijs auxilijs impediendam. Hæc igitur sunt, quæ ab igni perperam producuntur. Si verò tumor scalpello aperiatur, tunc duabus de causis haud idonea videtur hæc operatio; aut enim parva fit incisio, ac superficialis, et tunc aliqua corrupti humoris portio intus constricta remanet, præsertim si in sinu jam coaluit; aut lata, et profunda, ut meliori ratione fieri deberet, et tunc periculum subimus vel recidendi, vel saltem vulnerandi magna illa vasa sanguinea, quæ inguina pertranseunt; quapropter ex hoc adeo magnæ evenire possunt hæmorrhagiæ, ut non parvam deindè inferant amaritudinem. Quod si in inguinis abscessibus magnæ fiant incisiones, metuendum non est, ne magna illa vasa, quæ ei proxima sunt, aperiantur, propterea quod ab ipso pure, quod in tumore continetur, defenduntur.

Ast argumentum istud non decet breviori, quàm par sit, calamo pertractare, et quasi in limine consistere; quin imò quò magis attentius incisio perpendatur, eò magis ejus causa infirmior evadet. At reverà, ut liquidò constet, per quos ignes incedat suppositos cineri doloso, ille qui suppurationi inhians, explorat tempus incidendi bubones; disquirere sat erit vulneris naturam, quod ipse suis manibus efformat. Jugi experientiâ com-

pertum

pertum est, tale vulnus in deterius labi plerumque et brevi adeò corrumpi, ut tandem in vulcus sinuosum degeneret, exiccatu diffi=cillimum, et ità pervicax, atque morosum, ut ipsam eludat vim præcipitati rubri, ipsiusque aluminis usti. Quæ cum ità sint, audebit=ne quis, qui praxi didicit tam funesta, atque inexspectata phænomena, quique eâ peritiâ præditus est, quæ sibi, suæque arti ne=cessaria est, talia experiri, taliaque tentare, quæ sibi tandem dolori futura sint, atque honori suo indecora?

At validius argumentum, quò for=tius moveri videamus, experientia est, magistra illa tutissima, quæ rectam nobis commonstrat viam, lampademque præfert; hæc non ambiguâ luce sua nobis ostendit, meliores effectus, ac solidiores à resolutione progigni, quàm à suppuratione; suppetit tantummo=do, animum praxi paululum advertere, et videmus profectò, raro suppurationem ex se sola suffecisse ad morbum debellandum, sed extraneis indiguisse auxiliis resolventium: cum ècontra palam sit morbum, ubi pro curatione à remediis resolventibus initium sump=simus, victum adeò, ac profligatum fuisse, ut nunquam amplius eruperit, atque, ut ità dicam, refloruerit. Quæ omnia si attentè examinentur, inferatur oportet, resolutionem semper esse suppura=tioni præferendam; si verum sit, uti certissimum esse debet, argu=menta curationum debere sumi ab iis, quæ constat, vel damno fuisse, vel utilitati.

Unicum

Unicum tamen est, quod quidam timidi nimis à reso=
lutionis methodo metuere solent, firmissime opinioni inhærentes,
remedia resolventia esse penitus à bubonibus eliminanda, utpotè
apta ad latens virus vivido motu ciendum, et ad illud cum cir=
cumfluenti sanguine miscendum, adeò ut infecto vitali fluido, indè
majus inesse possit detrimentum ægroto; è contra, ajunt, sup=
puratio cum in unum tantummodo sinum trahat corruptos hu=
mores, facili negotio potis est, eos per illud foramen expellere,
quod ars illis præstitit. Bellum mehercle inventum! Sed quid
pluribus ista refellere, cum pauca sufficiant ad ostendendum,
quàm longè à vero aberrat, qui talia opinatur? Evidentiâ
constat, quod cum hujusmodi curationem aggrediamur eâ me=
thodo, quam nos docuerunt cordatiores scriptores, ac præcipuè
clarissimus Astruchius, metuendum non est, ne aliqua veneni
particula in corpore integra remaneat, ac sepulta; quinimò
certissimum esse debet, post unctiones mercuriales ope purgatio=
num adeò penitus expelli veneni reliquias, ut ne vestigium qui=
dem supersit. Et revera quodnam remedium tam capax est
movendis fixis illis, atque inclusis particulis, quibus miasma vene=
reum constare liquet, quodque, ut communis fert opinio, tardam
pinguedinem stringit, atque complectitur; quodnam remedium
tam efficax à corpore corruptæ materiæ expellendæ per plures
exitus

exitus, quam mercurius, qui causâ sui ponderis, et vividissimi motus
quo pollet, miros producere potest effectus, atque ultrà fidem
ipsam inauditos?

At rectiùs objiciunt alij, à resolutione perturbari sapientem na=
turæ œconomiam, cui venenum in inguinum glandulis deponere, so=
lemne est, quo deindè per suppurationem sese nititur exonerare.
sed admisso tali naturæ auxilio, certum nihilominus est, hac viâ non
omne prorsùs exire venenum, itàque ægrotum nunquam penitus con=
valescere. Deindè, etsi suppurationem consideremus, uti crisim, quâ
utitur natura ad sese exonerandam; cur arte nostrâ hanc præve=
nire crisim non poterimus, quod praxi receptum est et in alijs mor=
bis?

Ex ijs, quæ huc usque dicta sunt, nulla magis legitima fit illatio,
quam ea, quam initio sermonis attigimus, videlicet bubones venereos
non esse, nisi unctionibus mercurialibus, ac purgationibus curandos, quæ
vulgò remedia resolventia nuncupantur. Sed quia auctoritas rationis
pedissequa esse debet, facturum me operæ pretium reor, si argumentis,
quæ superiùs attuli, illustrium virorum auctoritatem adjiciam; et pri=
mùm juvat afferre verba clarissimi Schimidij ex dissertatione de
chirurgor. errorib. deprompta = Quod hos bubones per suppurationem
curandos esse putent, in quem finem emplastris attrahentibus, emollien=
tibus, maturantibus, itemque frictionibus duris, et cucurbitulis dolo=
rificis bubones extrahere allaborent; quæ methodus præterquamquod
sit valdè longa, et valdè molesta, atque dolorifica, ad luem ve=
neream

neream inducendam plerumque efficax est, nisi ægri convenienti=bus specificis mercurialibus, atque diaphoreticis liberentur. Laurentius Heysterus pluribus contra communem abusum declamat, chirurgiæ tom. I.o cap.e 12. ubi post relatam sententiam eorum, qui venereos bubones in suppurationem convertere conantur, ità prosequitur: Ego verò, quod pace illorum auctorum, dictum velim, contra hìc faciendum censeo: cum enim tarda nimis, et diuturna, varijsqualijs incommodis subjecta per suppurationem curatio sit, satius profecto ac tutius esse, frequenti usu expertus sum, quamprimum medicamenta purgantia, aliaque mercurialia, sanguinemque mundantia assumere. Idem peritissimus auctor, postquam ad suam sententiam comproban=dam, detrimentorum narrationem attulerit, quæ suppurationem con=comitantur, et postquam argumentorum vi, ac robore confirmave=rit, quo saniori consilio in tumoribus venereis resolutio adhibeatur potius, quàm suppuratio, ità demum concludit = Cæterum ex hac=tenus propositis haud obscurè, ni fallor, liquet, satius semper, atque commodius esse, si modo id fieri possit, bubones venereos protinus digere=re, sive per resolutionem curare, quam in suppurationem converte=re. Boerhaawius de lue venerea §. 1462. ad rem nostram, et ipse facit, atque contendit, tunc adhibendam tantùm esse suppurationem, cum ex remedijs resolventibus nullum sperari

possit

possit emolumentum = Bubo venereus tollitur dissipando per emplastra specifica, suppurando, si hæc non prosunt, et aperta depurando. Clarissimus Astruchius cap.e V., relata duplici methodo resolutionis, et suppurationis, sic demum subdit: Prior methodus operatione vacat, brevior est, doloris expers, et æquè tuta, ac proindè multorum judicio alteri jam præferenda videtur. Et revera quis, qui rem attentè perpendat, non deplorabit tristes, et horrendos effectus, qui à suppuratione plerumque oriri solent? Idem Astruchius sæpissimè animadvertit, bubonem apertum in ulcus sordidum degenerare, quod non ità facilè exiccari potest, prout ipse scribit cap.e 6. = Potest quidem apertus bubo in ulcus sordidum, chironicum, dysepuloticum abire, vitiosâ sanguinis discrasiâ; potissimum verò seminii venerei in sanguine latentis præsentia; undè pus acrius suggeritur. Denique Boerhaavesius de Lue aphrodisiaca damna recenset, quæ ægroto impendent, quando bubones escharoticis aperiuntur = Ubi verò acribus ulceris os in crustam exussisti, sub eschara dura retentum virus furit, serpit latius, propingua afficit malignâ suâ virulentiâ et sæpè luem pessimam creat. Quibus præclarissimorum virorum auctoritatibus addere par est, quod in Nosocomijs quotidiè animadverti potest, nimirum bubones venereos per suppurationem in ulcera sordida, et pessimi moris abire, qui tandem mortem inferunt lentam quidem, sed indubiam, atque crudelem patientibus.

Sed

Sed cur tot, tantaque argumenta de ÿs, quę meridianâ luce clariora sunt? tempus est igitur, vela contrahendi; ea namque tam manifesta esse arbitror, ut ulterius progredi, superfluum mihi videatur. Proposita igitur methodus, quâ fit, ut bubones, qui inveterati non sunt, resolvantur, ità rationi congrua, atque humano corpori proficua videtur, ut cur negligi debeat, quibusque argumentis rejci possit, minimè videam; satis namque probavimus, methodum suppurationis, quâ complures utuntur, non modo longam esse, verum etiam corpori humano nocuam; quippè quod fovet potius miasma, quam expellit. His additur opportunam incisionem non solum scitu difficillimam esse, verum etiam in eâ sive tumor maturus sit, sive immaturus semper aliquid inesse periculi; eo vel magis, quod nullum adhuc habemus instrumentum, quo incisio fieri perbenè possit, et sine ullo læsionis metu; quapropter hæc methodus reÿcienda mihi videtur. Ignis, qui tam proficuè in tot, tantisque casibus adhibetur, hic non modo nullam affert utilitatem, sed potius detrimenti est ob escharam, quam procreat, quęque obstat, ut pravus humor ab infecta parte emanet, atque decurrat. Scalpellum haud idoneum duco, eo quod aut parva fit incisio, et aliqua semper veneni pars clausa remanet; aut magna, et nimiâ sanguinis effusione vita periclitatur; quibus adÿci potest, ulceris naturam ut plurimum sordidam demum fieri, ac mali moris

vis

vis; et hæc omnia experientiâ sat superque constant. Itaque hoc in morbo aspernandum puto illud monitum antiquorum **URE, SECA**. Si postremum perpendamur, illatas rationes validissimâ nisi auctoritate cordatiorum virorum; apertissimè patet, bubones venereos, qui nec inveterati, nec complicati sunt, à principio remedijs resolventibus curandos esse, ut statim morbi radices evellere possimus, et ægroto magnum præstare auxilium, illam evitantes suppurationem, à qua abhorret animus meus,

Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens, trepidusque repentè refugit.... Virg...

Pisciottano

Finis